



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.59. Veteres Carthusianorum constitutiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

Sæcul. XIII. atque si eam hac in vita non peragat, in
A.C. 1259. flammis piacularibus completurum: ubi
 cernimus, veterum pœnitentiam nondum
 in oblivionem venisse. Author nec sub-
 tiles ratiocinationes, nec locos commu-
 nes adhibet, sed argumenta sub sensum
 cadentia, & exempla familiaria.

§. LIX.

*Veteres Carthusianorum constitu-
tiones.*

Scholæ Parisiensis existimatio illuc at-
 traxit Carthusianos, ut docet titulus
 eorum institutionis, ubi Rex S. Ludovi-
 cus ita loquitur: Fratres Ordinis Carthu-
 siani nobis præsentibus supplicarunt, ut si-
 bi concederemus nostram domum in Val-
 le Viridi prope Parisios urbem nostram,
 in qua largiter fluunt doctrinæ salubris
 aquæ totam irrigantes Ecclesiam. Tum
 Rex stipis instar eis castrum donat cum
 quibusdam bonis aliis. Litteras publi-
 cas dabat Meloduni mense Majo anno
 1259.

Duboulay
p. 360.
Dubois
p. 435.

Discipl.
Ord. Carth.
p. 112. 128.

Eodem anno Carthusiani generalia
 comitia obiire, ubi Rifferus decimus ter-
 tius Carthusiæ Præpositus, (Priorem vo-
 cant) curavit auctoritatem dandam con-
 stitutionibus Ordinis a se collectis, e-
 mendatis, auctisque: & hæ sunt, quas
 appellant statuta vetera. Inter alia ibi
 legitur:

legitur: Etsi praxis consuetudinum Guigonis quodammodo immutata est, comitia tamen eas in qualibet domo integræ sine ulla mutatione haberi volunt, ut videamus, quantum a vita nostrorum Patrum veterum desciverimus. Origo comitiorum generalium ibi notata est sub Basilio, qui fuit octavus Carthusiæ Præfectus seu Prior, ac diem obiit an. 1173. Omnium reliquarum domuum Priores, qui solum quatuordecim tunc erant, ab eo flagitarunt & obtinere, ut observantiæ firmandæ causa in primaria illa domo generalia celebrarent comitia.

Vide, quomodo sonent Rifferi sanctiones in capitulo de reprehensione: Est, cur divinum timeamus iudicium, nos, qui contra ejus inhibitionem transtulimus limites nobis ad vitam regularem a Patribus nostris positos. Siquis eos in dubium vocet, legat, relegatque Guigonis constitutiones! & videbit, quantum hodierna nostra vivendi ratio a vita Patrum nostrorum discrepet. Mali causa videtur esse in quibusdam Prioribus, qui subditorum correctionem negligunt, aut per nimiam indulgentiam corporis commoda sibi suisque parando disciplinam solvunt. Nonnullis insuper grave accidit apud fratres suos manere, egredique & ambulare placet: dumque illi alienis se negotiis onerant, gregem suum derelinquunt.

Sæcul. XIII.

A.C. 1259.

p. 129.

p. 131.

p. 133.

p. 134.

Sæcul. XIII.
A. C. 1259

quunt. Deberent considerare, Priorem Carthusiæ nunquam e finibus suæ solitudinis exire; has deambulationes extraneas veris eremitis odiosissimas esse, ac præ aliis rebus apud homines profanos in contemptum nos adducere.

Conventus generalis sæpe castigavit, ac legibus constrinxit curiosas impensas in vestes & apparatus. Sed nulla vel modicissima emendatio secuta est. E contrario multi adversus interdictionem obfirmatis animis nostrum institutum despiciunt habent, nos præ reliquis monachis omnibus adstringens ad modestiam, demissionem, paupertatem, vilitatemque vestium, ac eorum omnium, quæ nobis usui sunt. Sanctam Ordinis nostri rusticitatem obliti gratulantur sibi, quod has mollitias introducant sobriæ frugalitati contrarias, & solitariæ vitæ severitatem enervantes. Huic superfluitatum studio adscribendum, quod, cum solitudinum nostrarum spatium jam non sufficiat sumptibus, multi audentes illicita, huc illuc decurrant, ut acquirant bona, metas suas proferant, & ulteriores redditus habeant per omne genus solutionum a legibus. Conventus in posterum rerum tam indignarum reos denunciari jubet. Sanctionum Rifferi & Guigonis intervallum centum triginta circiter annos continet.

Sup. lib. 67.
§. 58.

§. LX.